



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 102. Florentini ob Seresanellum a Rege obsessum perterriti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

cum belli tormentorum apparatu accedentibus. Sæcul. XV.  
A C. 1494.

## §. CII.

*Florentini ob Seresanelum a Rege  
obsessum perterriti.*

Capta Fivisana urbe Gallorum progressibus obstabat Seresanelum, quæ Comm. l. 7.  
c. 7. p. 34.  
 arx est inde haud longe distita, eaque munitissima, ac petræ imposita. Hanc a tergo inimicam relinquere, satis periculosum erat: Ergo eam obsidione premunt Galli, quam etiam Paulo Ursino, qui auxilia urbi ferebat, devicto, præter oranium expectationem armis suis subjiciunt. Arcis expugnatio tanto terrore Florentinorum animos perstrinxit, ut Nobiles æque, ac Cives, eoquod Commercium cum Lugdunensibus interceptum vererentur, ac Genuenses eodem fato oppressos iri haud ignari essent, una omnes in Petrum Medicæum insurgerent, caussati, se ab eo ut foedus cum Carolo VIII. dissolverent, inductos fuisse, nunc vero aut vitæ vel saltem libertatis perdendæ periculo, si Rex Florentiam invaderet, expositos. Petrus in hoc rerum articulo nullam sibi opem a Neapolitano exercitu polliceri poterat, cum ille ad propria adversus Albigni vim tuenda operosius intentus esset; ergo inter



Sæcul. XV.  
A.C. 1494.

tot arcta prehensus Dux nil reliquum habebat, quam vel Florentinorum furori sese exponere, vel Gallorum arbitrio cedere: hoc etiam consilium, cum longe securius esset, suscepit, ac Florentia ad urbem, cui Petra sancta nomen, profugit, ibique misso ad Regem oratore publicæ fidei literas efflagitavit, quas etiam protinus obtinuit, Episcopo Macloviensi illas deferente.

## §. CIII.

*Fœdus Petri cum Rege Seresanelli  
initum.*

Petrus Medicæus his literis munitus, Regem tum Seresanellianæ arcis obfidioni intentum adiit, a quo perbenigne exceptus, ad Deputatos mittitur, ea, quæ Rex ab eo postularét, percepturus. Inter hos ergo conventum est, ut tota Florentinorum Respublica ac speciatim Petri Medicæi familia integra fide fœdus, atque Gallorum amicitiam denuo profiterentur, armorum societati cum Rege Neapolitano sancitæ nuncium mitterent, atque in fidei argumentum, arces Seresanam, Seresanellem, & Petram sanctam, quibus Florentinorum Respublica hac ex parte velut claustris munitabatur, necnon Pisanam arcem cum liburnensi portu nulla mora Regi traderent, polli-